

Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficiarum tam antiquorum,
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacacione, Amissione, Et Extinctione Beneficiarvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

656. An extinguatur pensio, dum mutatur vel alteratur beneficium, cui
imposita, v. g. dum parochialis fit, vel Collegiata Ecclesia de simplice, vel
de regulari vel sæculare Collegiata fit Cathedralis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](#)

Quæstio 655. An cessante necessitate pensionarii, cesseret pensio. Item an cesset pensio reservata in favorem alicujus Collegii, pro fundatione, ubi illi supervenit congrua provisio?

1. **R**espondeo ad primum: Loquendo de pensione propriè tali, seu imposta per Papam; etiam si causa alimentorum in, vel ob quam fuit reservata ob quasunque partas pensionario divitias evanescat, pensionem tamen minimè extingui; eò quod tunc denum extinguitur, si vel materia illius (quales sunt fructus beneficii), super quibus imposta pensio, & in quos actio realis dirigitur. Lott. l. 1. q. 41. n. 14.) pereat, vel reservatur ejus forma (qualis, ut Lott. ibidem est concursus ille consensus titularis, & voluntas Papæ) cum ha si sit causa intrinseca, & essendi; illa autem causa alimentorum sit causa extrinseca seu finalis, resque non pereat, pereunte hac causâ extrinseca, sed illius intrinseca. Lott. loc. cit. n. 1. citans Bald. in proam. decretal. rex pacificus. n. 51. Quid verò sit ex alto capite, nempe, incompatibilitatis, dum cessat illa causa alimentorum ex obveniente eidem pensionario beneficio ad honestam illius sustentationem sufficiens, resolvendum ex dictis supra. loc. cit. q. præced. in fine. Quod, si etiam sermo est pensio minùs propriè tali, quam Episcopus imponere potest ipsi persona beneficiari expirantem cum ejus vita ad sustentationem alicujus pauperis scholaris, illam extingui seu cessare cessante illâ necessitate, probabilius sibi videri ait Card. de Luc. de pens. d. 40. n. 6.

2. Respondeo ad secundum: Neque in eo casu extingui seu cessare pensionem, dum in reservatione id specialiter expressum non esset, sed absolute, & implicitè imposta pensio pro fundatione talis Collegii. Si quidem de potestate Papæ absolute gravandi Ecclesiæ, etiam perpetuis pensionibus dubitandum non est; voluntas autem illius super hoc in praesente casu est clara, dum aliud non exprimitur. Card. de Luc. de pens. d. 77. per tot. præcipue n. 4. De cetero, dum iudicata forte contributio per Papam Clero de beneficiis pro sustentatione Seminariorum, eam contributionem cessare, cessante d'icâ necessitate, libenter admittit idem Card. cit. loc. cit. n. 5. Verum illa contributio, ut ille ait, longè quid diversum est à pensione imposta super certo beneficio simpliciter, ac perpetuo.

Quæstio 656. An extinguatur pensio, dum mutatur, vel alteratur beneficium, cui imposta, v. g. dum Ecclesia, cui imposta pensio, de simplece fit Parochialis, vel Collegiata, vel etiam de Regulari, vel seculari Collegiata sit Cathedralis?

Respondeo negativè. Lott. l. 1. q. 42. n. 1. Card. de Luc. de pens. d. 67. n. 3. citans Corrad. in pr. benef. l. 2. c. 15. n. 101. &c. eò quod hujusmodi immutationes statutis, quoties expresse contrarium non disponit, non prejudicent iuribus tertii cum ipsa immutatione compatibilibus juxta regulam, de jure tertii non tollendo. Card. de Luc. loc. cit. Et id, quod Papa in reservatione pensions contemplatur, sunt solummodo fructus beneficii, eorumque quantitas, non vero duratio illius qualitatibus, quam tunc habebat beneficium; dum autem illud, quod Papa contemplabatur, perseverat

in suo esse, parum refert, quod in alio contingat alteratio. Lott. loc. cit. qui etiam n. 2. id ipsum confirmat ex eo, quod dum Parochialis, ex qua quis percipiebat partem funeralium ex privilegio, erigitur in Collegiatam, inde non sequatur amissio dicti privilegi, sed potius illud preservetur, pro quo postremo citat de cis. unio. n. 3. de sepsi. in antiq.

Quæstio 657. An pensio reservata alicui habenti certam qualitatem expiriat cessante dictâ qualitate?

1. **R**espondeo primò: Dum ea qualitas non est causa concessionis pensionis, cessante deinde ex intervallo, illa qualitas, non semper expirat pensio. Card. de Luc. de pens. d. 2. n. 3. ostendens id in milite Lauritanus ex privilegio illi militia concessa, capaci pensionis, non obstante statu seculari, etiam matrimoniali; dum enim tali non Clerico reservatur pensio (non solita alias reservari nisi Clericis, vel talem militiam habentibus) cum expressione seu narratione, quod reservatus esset miles Lauritanus, habente seu supplete hac qualitate talis militis in hoccasū vicem Clericatus, pensio non cessaret cessante dictâ militiā, dum interea iste pensionarius Clericatum suscepisset; hoc enim suscepito opus non erat, qualitatem illam aliam perdurare; cum ea non esset principalis, & finalis causa reservationis, sed solum enunciabatur pro habilitatione, eo modo, quo enunciari solet Clericatus.

2. Respondeo secundò: Quin etiam si talis qualitas fuisset causa concessionis pensionis, ea adhuc non cessaret, cessante illâ qualitates quia adhuc non foret causa durationis istius concessionis, ex eo, quod cessante causa, non statim cesset effectus consummatus, & semel perfectè in esse deductus, sicutque magnum discrimen inter causas fiendi, & causas essendi, ut dictum quest. ante banc 2. & in illis causis fiendi non consideretur eorum perverantia; sed sufficiat pro eo tempore, quo actus factus est, eam fuisse. Card. de Luc. loc. cit. num. 3. exemplificans id ipsum n. seq. casu pensionum reservatarum ad favorem Cardinalis, in quibus probabiliter dici potest, reservationem principaliter factam intuitu dignitatis hujus, nempe ad illius decorum sustinendum, & tamen, si talis, absque eo, quod matrimonium contrahat, aut statum alium incompatibilem assumeret, dimitteret Cardinalatum, remaneudo Clericus, aut in alio statu capaci pensionum, non per hoc amitteret pensionem præhabitam, eò quod dignitas illa Cardinalitia fuit causa fiendi, id est que non remaneat causa præcisa essendi.

Quæstio 658. An, & qualiter cesset pensio per mortem Papæ eam concedensis, præpœ, dum concessio pensionis conditionata est, & moritur Papa, eam concedens, dicta conditione adhuc pendente, seu necdum impleta?

1. **R**espondeo primò: Dum reservationis pensio nissem est in esse deducta, seu implicitè, & absolute concessa, moriente deinde Papa, qui eam concessit, non extinguitur. Lott. l. 1. q. 41. n. 1. cum communī.

2. Respondeo secundò: Dum quidem ipsa gratia reservationis necdum est in esse deducta, con-